



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 5. Jacobus Regni Cyprî usurpator mortuus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV.

A.C. 1473.

*Papiens.**epist. 516. & 517.*

tur proposito, simulque Ludovicum (\*) Episcopum Ferrariensem, qui in Hungaria Sedis Apostolicæ Legatum agebat, admonuit, ut solerter inquireret, an fœderis hujus rumor verus esset, vel potius commentum foret ad extorquendas a Pontifice pecunias ab Hungaris excogitatum: id etiam vero longe similis est; cum ejusmodi pacem sancitam fuisse, nullius Historici testimonium comprobet, nisi forte dicatur, Mahometem post devictum Regem Persarum parum de Matthia Hungariæ Rege sollicitum fuisse.

§. V.

*Jacobus Regni Cypri usurpator mortuus.*

*Coriolan. l. 2. & 3.*

Hoc anno Jacobus Regni Cypri usurpator extremum diem clausit. Fuit is Frater spurius Carlottæ seu Carolinæ, quæ legitima Cypri Regina Ludovico Sabaudia Ducis desponsata erat; Ambos tamen Jacobus regnandi cupiditate accensus, & Sultani Ægypti auxiliis adjutus, Regno expellere studuit, ejecitque. Carlotta fugere compulsâ dudum apud Rhodios recuperandi regni sui spem incassum

(\*) Legendum est cum Pagio Laurentium, ut constat ex variis diplomatibus ad hunc missis.



sum alebat, tandem vero Romam venit, Sæcul. XV.  
 summi Pontificis opem imploratura; Ast A. C. 1473.  
 omnia ejus consilia sinistrum votis suis  
 exitum fortiebantur. Defuncto tamen  
 hoste suo in novam spem erecta videba-  
 tur; Verum Jacobus talia adversus eam  
 cudebat consilia, ut post sua etiam fata  
 ei aditum ad Cypri solium intercluderet,  
 eoquod testamenti tabulis Regni hære-  
 des dixisset Catharinam conjugem suam  
 Marci Cornari Senatoris Veneti filiam,  
 eo tempore gravidam, & prolem inde  
 nascituram; ambos Jacobus adhuc vivus  
 Senatui Veneto, & Mocenigo Præfecto  
 impense commendabat, eodemque testa-  
 mento constituit, ut si proles, quam Ca-  
 tharina in lucem editura esset, fatis fun-  
 geretur, regnum haberet Joannes filius  
 ejus spurius, eoque absque liberis dece-  
 dente alius filius nothus ejusdem nomi-  
 nis, ac huic demum Carolina filia pari-  
 ter spuria succederet, postremo tandem  
 omnibus his sine posteris e vita migran-  
 tibus Insula Cypri transfret ad proximum  
 familiæ Lusinianæ hæredem. Senatus  
 Catharinam adoptionis lege in Filiam  
 suscipiens, omnes hosce testamenti arti-  
 culos ratos habuit, & Mocenigus Belli-  
 dux Regni curam in se suscepit. Ad  
 hunc Carlotta legitima Regina confugit,  
 expositisque suis in Regnum juribus  
 sibi illud restitui enixe efflagitat, sed sur-  
 das